

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die


Lavantiner Diöcese.

Inhalt. 44. Litterae decretales, quibus quartae Synodi dioecesanæ Lavantinae celebratio decernitur.

44.

LITTERAE DECRETALES,

quibus quartae Synodi dioecesanæ Lavantinae celebratio decernitur.



MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus, Solio Pontificio Assistens, Caesarei-austriaci Ordinis Francisci Iosephi Magna Cruce Insignis, Doctor sacrae Theologiae, universae suae dioeceseos Clero curato benedictionem in Domino et omne bonum!

Deo dante et potenter adiuvente anno salutis 1896 et anno aureo 1900 celebravimus Synodum dioecesanam. Gesta et statuta prioris congressus anno 1897, actiones et constitutiones vero alterius conventus anno 1901 Beatissimo Patri Leoni XIII. humillime obtulimus. Pari modo ad sacram Congregationem Concilii Tridentini acta et statuta synodalia una cum relationibus de die 3. Maii anno 1897 et de die 30. Septembris anno 1901 super statu dioecesis Lavantinae devote detulimus.

Synodi dioecesanæ hucusque peractae promptuaria manebunt saluberrimarum normarum pro rite adimplendis officiis pastoralibus pro beneque gerendis negotiis parochialibus in perampla dioecesi Lavantina. Quaelibet Synodus erit magna pars historiae dioecesanæ.

Synodi dioecesanæ celebrationem ad vitae christianæ Clerum inter ac populum promotionem maximæ utilitatis esse, ex praxi inde ab incunabulis Ecclesiæ coepta compertum esse debet; atque etiam ex eo, quod negotia ecclesiastica viva voce in Synodo discussa luculentius evolvuntur atque rationibus ac consiliis collatis efficacius stabiliuntur nec non dioeceseos indigentis rectius applicantur.

In synodali conventu opera datur, ut erroribus vel controversiis aut quibuscumque aliis periculis emergentibus obstetur decretis et remediis, antiquis vero morbis renovatis antiqua quoque renoventur pharmaca.

Ita et nos pro temporum locorumque opportunitate duas iam Synodos dioecesanæ coëgimus, in quibus de statu ecclesiæ Lavantinae inquisivimus, de corrigendis abusibus contulimus et monita inculcavimus. Ut vero opus feliciter inchoatum successive perficiamus — plures enim res in Synodo pertractandæ carent adhuc synodali examine — volvente anno quartam respective tertiam Synodum dioecesanam Deo permittente convocare cupimus.

Crebrior Synodorum dioecesanarum celebratio a sancta Christi Ecclesia etiam nostris diebus strenue urgetur. In nuperrima bulla Quæ mari sinico de die 17. Septembris 1902 scribit sapien-

tissimus Papa Leo XIII. ad Episcopos Insularum Philippinarum, ut sequitur: »Decet sane, ut qui unum sunt corpus unius capitis Christi, non sibi invicem invideant, sed unius sint voluntatis, caritate fraternitatis invicem diligentes. Cui quidem caritati provehendae disciplinaeque simul vigori servando, meminerint Episcopi prodesse plurimum, synodales conventus subinde cogere, pro opportunitate locorum ac temporum. Quod si faxint, una erit facile omnium sentiendi ratio unaque agendi.«¹

Simili modo desiderat gloriose gubernans regnum Christi in terra Summus Pontifex Leo XIII. celebrationem Synodorum provincialium. In praelaudata bulla Delegato apostolico extraordinarie ad Philippinas Insulas misso in mandatis dedit, ut provincialem Synodum, quam primum per adiuncta licuerit, indicendam ac celebrandam curet.² Hinc nobis laetandum est de nuntio, anno venturo Salisburgi Synodum provincialem celebratum iri. Decreta futuri Concilii provincialis iam studiose componuntur et provide exarantur.

Etiamsi labentibus saeculis nova Episcopis in regimine pastorali accreverint auxilia et copiosa media, quibus pristina Synodorum per singulas dioeceses frequentatio efficaciter suppletur, nos tamen, quum piae memoriae decessor noster avitam synodalem conventuum traditionem anno 1883 in dioecesi instauraverit, eandem quoque custodire et ad Cleri gregisque Dominici spiritualem profectum conservare ardentem desideramus. In aliis quoque dioecesibus congressus synodales novissime frequentius habentur.³

Quum igitur opus bene coeptum sensim bene perficere optemus quumque Deo favente dioecesim semel atque iterum et mox iam tertio perlustraverimus, diebus 24., 25., 26., 27. et 28. mensis Augusti anni vertentis Synodum dioecesanam congregare intendimus et congregatam sacram esse volumus felici recordationi argentei ut vocatur Iubilaei, quod Sanctissimus Dominus noster Leo divina providentia Papa XIII. — ad summum Pontificatum assumptus die 20. Februarii et coronatus die 3. Martii anno 1878 — die 20. mensis Februarii et die 3. mensis Martii 1903, universo mundo catholico applaudente, sollemnissime celebravit.

Verum quidem est, gratia divina assistente fidem gregis Lavantini non defecisse neque extinctum esse pastorum fervorem; imo Deo gloriam et gratiam dantes candide profiteri debemus ultimis decenniis auctam esse tum scientiam virtutemque Cleri curati tum pietatem christiani populi, prout tot ecclesiae et capellae recenter aedificatae, tot associationes catholicae, tot sodalitates et fundationes piae erectae, tot missiones habitae totque spiritualia exercitia peracta luculenter testantur⁴, nemo tamen cordatus affirmabit, nil amplius esse reparandum aut statuendum et consolidandum.

Ad maiorem ergo Dei gloriam et Ecclesiae splendorem nec non ad uberiores pastorum profectum oviumque salutem volumus et in virtute sacrae obedientiae imperamus, ut omnes, qui iure tenentur, praedictis diebus ad Synodum dioecesanam celebrandam accedant.

Ad indicta comitia synodalia distincte invitamus Reverendissimum Capitulum nostrum cathedrale: dignitarios, canonicos effectivos et honorarios. Item advocamus Dominos directores seminarii clericorum et rectores instituti puerorum; porro professores studii theologici dioecesani

¹ Cfr. Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diöcese, 1903. Nr. 1. Pag. 2 num. V.

² Ibidem, pag. 4 num. XI.

³ Mense Septembri 1902 celebrata est Milani 38. Synodus. (Cfr. L'Osservatore Romano. Sabato 6. Septbr. 1902. Nr. 204). — Diebus 19.—22. mensis Augusti 1902 habita est Premislae 19. Synodus dioecesana, cuius acta et statuta in lucem prodierunt Premislae anno 1903. (8°. 430 pagg.)

⁴ Videsis Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno Domini 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 304. — Actiones et constitutiones Synodi Lavantinae 1900. Marburgi, 1901. Pag. 266 sqq. — Personalstand des Bisthumes Lavant für das Jahr 1901. Marburg, 1901. Pag. 234 sqq. — Idem, 1902. Pag. 202 sqq. — Idem, 1903. Pag. 206 sqq.

nec non doctores sacrae Theologiae atque religionis magistros in scholis mediis et in praedagogiis. Dein requirimus Dominos decanos, parochos, provisores et beneficiatos. Ulterius accersimus reverendos Patres provinciales et superiores religiosorum ordinum ac congregationum, in dioecesi nostra existentium. Speciali modo ad plenam Synodum nostram invitamus reverendissimum Abbatem Trappistarum monasterii beatae Mariae Virginis de redemptione Reichenburgi, consiliarium nostrum consistorialem ac patronum duarum ecclesiarum parochialium in nostra dioecesi. Ex cooperantibus sive capellanis pro opportunitate unum aliunde designabimus, ut in coetu synodali compareat.

Omnes acciti, exceptis iis, qui, causa iudicibus excusationum exposita et a nobis canonica declarata impediti, dispensationem obtinuerint, habitu talari, birreto et superpelliceo induti synodalibus sollemniis interesse obligantur. Dignitarios et canonicos suis insignibus, parochos stola rubei coloris decorari decet. Omnes secum habeant Breviarium romanum.

Animarum pastores, quoniam omnium saluti paterna charitate intenti esse debent, antequam e cura discedant, visitent infirmos, si qui sint, eorumque necessitatibus provideant, nec non sacerdoti idoneo pro absentiae tempore ecclesiae et parochiae curam demandent.

Ad Synodum visitandam Marburgi, in civitate nostra residentiali, convenientes in seminario clericorum et in convictu puerorum hospitio gratuito recipientur. Pro nonnullis Synoditis in domibus canonicorum et parochi ecclesiae cathedralis atque in Episcopio habitacula parata erunt. Domini Synoditae non solliciti sint de hospitio tectoque Marburgi procurando, quia hospitiorum praefecti necessaria providebunt et disponent. Curabimus, ut omnia iusta vota aequaque desideria in Synodo praesentium compleantur. Omnes Synodi sodales erunt hospites nostri.

Quoniam vero nec qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed ab uno, qui incrementum dat, Deo omnis sufficientia nostra est expetenda (Sap. 9, 4), prosperum operis nostri processum a Deo praeprimis exposcere et expectare debemus. Idcirco omnes sacerdotes Lavantini abhinc in sanctissimo Missae sacrificio interponant, salvis semper rubricis, Collectam de Spiritu sancto Deus, qui corda. Apponatur oratio haec in publicis quoque precationibus. In ecclesia cathedrali s. Ioannis Bapt. nec non in cunctis ecclesiis decanalibus Missa votiva de eodem Spiritu sancto omnibus feriis quintis per mensem Iulium et mensem Augustum celebretur. Durante Synodo sacra exercitia habebuntur, ut pietas foveatur, ardor sacer eo magis excitetur et conscientiae nostrae emendentur, ut ita a Deo, Patre luminum, accipiamus gratiam, ut recta videamus quaeque videbimus, sapienter discernere possimus.

Celebratio Synodi vero non est Cleri negotium tam proprium, ut ad populum dioecesanum minime pertineat. Quum econtra causa communis et communis proventus sit, necesse est, ut pari modo communia vota et studia sint, et ut iuxta vetustam Ecclesiae consuetudinem etiam Christiani fideles piis precibus et bonis operibus congressum synodalem iuvare et fovere satagant. Tali agendi ratione grave grandeque opus nostrum larga benedictione divina foecundatum videbimus.

Itaque animarum curiones, postquam patentes hasce litteras decretales acceperint, vulgari sermone explicent Synodi scopum et suos fideles paterne hortentur, ut omni oblata occasione precibus operi sacro, quod aggredimur, auxilium divinum impetrent.

Synodum proxime praecedente Dominica, quae erit duodecima post Pentecosten et qua insimul festum purissimi Cordis beatae Mariae Virginis celebrabitur, in ecclesiis parochialibus sollemnis habeatur sanctissimi Sacramenti expositio cum sacratissimo Rosario glorioso ac Litanis lauretanis. Haec sollemnitas sane non erit plebi fideli sine spirituali emolumento et fructu salutari. Nos vero auctoritate nostra omnibus ter Pater et Ave cum Gloria ad bonum Synodi exordium,

felicem processum ac salutarem eventum postulandum recitantibus quadraginta dierum Indulgentiam pro singulis diebus usque ad diem 28. mensis Augusti inclusive ultro concedimus.

Insuper Sanctae Sedi Apostolicae humilem porrigemus petitionem, ut nobis committere dignetur facultatem, Indulgentiam plenariam concedendi eis dioecesanis, qui rite perceptis Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis vel ecclesiam cathedralem vel sanctuarium beatissimae Virginis Mariae matris misericordiae vel vero synodale templum s. Aloysii devote visitantes inibi iuxta summi Pontificis Leonis XIII. nostramque mentem pias Deo preces effundent.

Vespere diei Dominicae, quae erit duodecima post Pentecosten et 4. Augusti, campanae in omnibus ecclesiis curialibus a sexta hora usque ad horam septimam sollemniter pulsentur. Vespere diei 24. mensis Augusti a sexta hora per duos quadrantes campanae ecclesiae cathedralis aliarumque ecclesiarum in urbe synodali erectarum sollemni ritu annuntient, quod sacra Synodus modo incipiat.

Summarium huius edicti indictionis quartae Synodi dioecesanae Lavantinae valvis ecclesiae cathedralis et filialis ecclesiae s. Aloysii affixum¹ eandem, ac si omnibus et singulis, quorum interest, exhibitum atque intimatum fuerit, vim habere volumus et iubemus.

Denique potestatem damus animarum curatis, ut ad diem usque primam mensis Augusti huius tenus anni pandant sua desideria proferantque sua vota et manifestent suas sententias quoad proxime habendam Synodum. Imo omnes in Domino hortamur, ut nobis suggerant atque sincere proponant, quidquid in bonum animarum atque in ecclesiae Lavantinae decus constituendum exoptent. Eum in finem pastorem benedictionem ex corde nostro, erga omnes studiosissimo, impertimur, et Deum praepotentem et misericordem toto animo obsecramus, ut laveat perdifficili coepto nostro!

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis, quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum! Amen. (Hebr. 13, 20. 21).

Datum Marburgi ex aedibus nostris, in festo sanctorum Philippi et Iacobi apostolorum, Kalendis Maiis anno reparatae salutis millesimo nongentesimo tertio.

L. S.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.



¹ Cfr. Gesta et statuta Synodi dioecesanae anno Domini 1896 celebratae. Marburgi, 1897. Pag. 15, nota 2.